



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 126. Bibliopolarum oppositio, alterque libellus supplex a Facultate porrectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A. C. 1569

„in posterum ullum librum, qui de fide, &
„religione agit, typis edant, nisi prius sit
„examinatus, & a quatuor Facultatis Do-
„ctoribus ab eadem ad hoc nominatis ap-
„probatus, addito etiam eorum testimo-
„nio, quod in eo nihil Ecclesiæ Catholice
„doctrinæ adversum reperiatur. Hæc au-
„tem approbatio ad libri initium appon-
„tur. „

§. CXXVI.

*Bibliopolarum oppositio, alterque li-
bellus supplex a Facultate porrectus.*

*Argente
p. 408.*

Hoc Senatus edictum vigesima tertia
Septembris die præfatis Bibliopo-
lis significabatur, illudque transcriptum
singulis dabatur: hi vero ita responde-
bant: „Nobis inconsultis, imo nequi-
„dem auditis hoc decretum fuit edi-
„tum: unde ejus executioni obstitimus,
„in quantum illud nostri status condi-
„tionem, ac nostrum emolumentum re-
„spicit: præterea petimus a Bidello, qua-
„tenus nos coram Senatus secretioris
„Patribus convocet, ut ibidem nostræ
„repugnantiaë causas exponere valea-
„mus. „ Hoc responso Facultas ad al-
terum libellum supplicem Regi porri-
gendum adigebatur, quod & die secun-
da Octobris præstitit, Regem exorans,
quatenus præcipere vellet, ut præfati
Nivellus, Bonus, & Quercius Biblio-
polæ, cum id peterent, a primo Bi-
dello

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

dello in Senatus Curiam, vel a quodam Satellite coram sua Majestate prima die ad præfatum Senatum vocentur, ac comparere jubeantur, quatenus ibi suæ oppositionis rationes proferre, atque exponere valeant, ad omnes vero expensas, damna, & præfatorum Oratorum sumptus, necnon ad compensationem, & multam condemnentur, eoquod dicti decreti executionem temerarie impedire, atque adversus illud appellare, ac sese opponere ausi sint. Ad Facultatis libellum Senatus præcepit, ut præfati Bibliopolæ ad sequentem Feriam quartam in jus vocentur, eorumque oppositionis causæ percipiantur. Erat ea dies quinta Mensis Octobris, mandatum vero Senatus secunda illius mensis die eisdem significabatur: interea Renatus Benedictus suam submissionem revocabat, pluribusque tam secretioris Senatus, quam Curiae Magistratibus, imo etiam Petro Gondyotum Parisiensi Episcopo persuasum reddebat, quod ipse suam Bibliorum versionem eo duntaxat sine divulgasset, ut e Parisiensis populi manibus Gallicam versionem Genevensis eriperet, cum hæc eo tempore ob verborum selectum, & idiomaticis nitorem plurimi haberetur, hacque ex ratione plurima ex versione Genevensi ad suam nuper editam adjecisset.

Hh 5 §.CXXVII.